

in eadem Notitia explicavimus; alia quædam addit præter ipsius Notitiæ fidem, quæ imposturam imposturæ additam patefaciunt, In eo enim traditur Rodoaldi sententia habita *jubente Joanne pontifice* ac producta fuisse a cononicis *innumerabilia fere privilegia... a pontificibus et imperatoribus obtenta*: cum in Notitia mandatum imperatoris, non autem pontificis enuntietur, et unicum imperiale privilegium, nullum pontificium laudetur. Potior autem impostura in eo sita est, quod non tam bonorum capitularium, de quibus tantum in Notitia agitur, sed personarum etiam exemptio et immunitas asseratur, ac si controversia inter episcopum et canonicos non minus de bonorum, quam de personarum immunitate excitata ac definita fuerit. Ex collatione Notitiæ, et compendii ejusdem agnoscitur, verba *res et possessiones*, quæ sunt in Notitia, ab auctore compendii imutata fuisse in *bona et personas*; quæ manifesta fraus ejusdem compendii imposturam aggravat. Vide alia plura, quæ in hoc compendium animadvertimus in libro *De privilegiis et exemptione capituli cathedralis Veronensis*, pag. 77. Hæc autem pauca indicia hoc loco satis superque esse videntur.

NOTITIA

Sententiæ suppositiæ Rodoaldi patriarchæ Aquileiensis contra Ratherium pro canonicis Veronensibus.

(Ex vestuto exemplo archivi capitularis Veronensis.)

Anno Dominicæ incarnationis 968, domni quoque boannissanctæ Romanæ Ecclesiæ, et universalis papæ præsulatus ejus secundo anno, et imperii domni Othonis piissimi imperatoris Augusti nono, regni quoque domni Othonis filii ejus tertio, pridie Idibus Maii, luna vigesima tertia, indictione undecima.

Istiusmodi paginæ descriptio exposita fuisse vera credatur, nullique ambigendum, qui [l. quin] domnum Ratherium prudentissimum Veronæ urbis episcopum causationis querelam proposuisset adversus ecclesiæ suæ canonicos, dicens, quod ita sibi canonica auctoritate competeret, prædiorum redditus a fidelibus et Deum timentibus delegatos hominibus disponere, quemadmodum sui episcopatus res disponere, et ordinare videbatur. Cui econtra prænominati canonici, concordēs et unanimes facti, respondentes dixerunt: Jam, bone et pie pastor, ducentorum spatia annorum transacta plenissime fore videntur, ex quo nullus de vestris autecessoribus usque in hodiernum diem se quandoque hæc de causa intromisit, sicut vos facere videmini. Quidquid enim nostri prædecessores per mercedem domnorum regum et imperatorum quieto tenuerunt ordine, sub omnes vestros antecessores, qui in hac urbe fuerunt episcopi, hoc idem et nos moderno tenere cupimus tempore per mercedem istius serenissimi imperatoris. Dum vero hæc altercatio sic inter utrasque dilaretur partes: ecce legationis preco domni imperatoris et domni papæ Joannis missæ per 664 universum regnum vociferans, ut cuncti episcopi Ravennam ad sanctam synodum concelebrandam festinarent, sicut dudum illis indictum fuerat. Ravennam igitur cum præfatus episcopus festinare videretur, prædicti canonici suam, ad mercedem domni imperatoris, confestim destinantes legationem, illius per internuntios humiliter imploraverunt clementiam, ut si idem domnus episcopus in sancta synodo de illorum canonica inter cætera altercari vellet, nequaquam ei assensus tribueretur: sed sub suæ defensionis tutela res illorum et possessiones teneret, sicut omnes sui fecerunt prædecessores. Quorum deprecatio, quia justa et rationalis sibi esse videbatur, præcepit eidem episcopo, ut nullo modo de prædictorum canonicorum se intromitteret rebus et possessionibus, ut pacifice viventes liceret eis Deum sanctosque illius pro se et pro suorum regnorum statu exorare. Et ne amplius ab eodem, vel ab ullo quolibet Veronensi episcopo aliqua quandoque de sæpe nominata possessione promoveri posset altercatio; et si promoveretur,

irrita et inanis et vacua esset, præcepit domno Rodoaldo sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ reverentissimo patriarchæ, ut Ravenna rediens, tandiu moraretur Veronæ, donec diligenter investigare posset, quam rectitudinem frequenter dictus episcopus, aut quam crebro naminati canonici in eadem haberent re et possessione.

Cum autem venisset domnus patriarcha, et resedisset ad monasterium sanctæ Mariæ ad Organum vocitatum; illico, ut sibi fuerat imperatum, convocatis eundem episcopum ejusque canonicos ait: Vos canonici, si aliquas habetis 665 firmitatis chartulas, aut ullas testamenti paginas, aut regum præcepta de vestris rebus et possessionibus, quas dicitis habere, ostendite coram nobis, et coram vestro episcopo aliisque hic residentibus, quibus rei veritatem discernere valeamus. Tunc Ambrosius archipresbyter, et Petrus archidiaconus, Joannes et Petrus diaconicum aliquantis ex majoribus et minoribus canonicis statim surgentes e consessu, ostenderunt eorum testamentorum paginas, et regum præcepta, et dixerunt: Hæ, senior, sunt testamentorum paginæ, per quas res et possessiones nobis collatas defendimus. Præceptum est, ut hæ in consedentium et circumstantium legerentur auditu: et inter legendum primo lectus fuit iudicatus piæ recordationis Petri clerici, dehinc Giselberti, iudicatus quoque Notkerii et Billongi episcoporum. Quæ scripta pari et manifesta ratione testantur, ut si ullus aliquando Veronensis episcopus de ordinatione et provisione archipresbyteri et archidiaconi et sacerdotum et diaconorum potestate res et possessiones eorum remove conaretur, statim devenirent in potestatem et ordinationem parentum eorum, quicumque inveniri potuerint, et iudicem habeant Deum, et anathema maranata. Lectum insuper fuit præceptum domni Ludovici piissimi imperatoris Augusti in quo præcipitur, quod nullus episcopus, nullaque alia magna vel parva persona se intromittere præsumat de eadem re, et possessione absque illorum concilio et consensu. Lecta etiam Ratoldi de sæpius nominata re et possessione 666 concessio fuit. Ubi ostensæ sunt et aliæ paginæ, quibus, si legerentur, non sufficeret dies.

Videns autem domnus patriarcha, quia secundum paginarum traditionem nullo modo rerum possessio canonicis concessa ad episcopi pertineret iudicium, præcepit eidem episcopo Ratherio ex parte Dei omnipotentis, ut amplius de illorum possessionibus, illis a fidelibus hominibus concessis, se non intra-

mitteret. Ad hoc conticuit episcopus, et silens inde permansit; et dixit: Qui aliter egerit, anathema sit.

Hæc sunt nomina clericorum scilicet et laicorum, qui hinc interfuerunt altercationi, in quorum auribus cripturarum paginæ lectæ fuerunt. Penzo archidiaconus, Petrus presbyter, Roza subdiaconus, Giso clericus, Erizo, Peredeus, et Azo cum reliquis commilitonibus: Garimbertus abbas cum suis clericis et familia loci et aliis suis fidelibus. De Veronensibus Lampaldus, qui Lanzo vocatur, vicecomes; Ermarius, qui Erizo appellatur, vicedominus; Ermimberius, Landbertus, et Azo iudices; Pezo, Ernaldus, Ubertus, Valderius commilitones domni RATHERII episcopi; Azo, et reliqui plures.

Ego Isembardus, notarius, authenticum hujus exempli vidi et legi, et in eo continebatur sicut in isto exemplo præter litteras plus minusve, et hoc exemplum scripsi.

Compendium ejusdem supposititiæ sententiæ

Anno 968, 14 Maii in monasterio sanctæ Mariæ de Organa jubente Joanne pontifice, indict. xi, et Othone imperatore ann. 7, Rodoaldus Aquileiensis patriarcha, auditis Ambrosio archipresbytero, Petro archidiacono, Joanne et etiam Petro diaconibus cum aliis quamplurimis Veronensibus innumerabilia fere privilegia producentibus, aliaque jura ducentis ab hinc annis a pontificibus et imperatoribus oblenta, quibus ostendere conabantur, eorum jura, eorumque bona, et personas omnino a potestate RATHERII exemptas et immunes esse, qui contrarium enixe tuebatur; tandem in contradictorio judicio sancivit, et dixit et pronuntiavit quod eorum bona et personæ nec per dictum RATHERIUM, nec per successores unquam turbentur; et RATHERIUS sententiæ quievit, consensus, ipsamque laudavit.

ADMONITIO IN SERMONEM SEQUENTEM.

667-668 In Frisingensi codice, qui aliquot RATHERII opera post tertiam ejus restitutionem in Veronensem episcopatum lucubrata continet, post ipsa opera sequitur pagella, in qua hic tantum titulus exhibetur: *Prædicationes in quibusdam festis*. Subjiciuntur autem sermones octo, quorum exemplum descriptum accepimus. Hos autem expendentes, omnino alienos a RATHERIO reperimus. Discrimen satis indicat non solum situs, quo a cæteris RATHERII sermonibus et opusculis separantur: sed præsertim stylus, qui a RATHERIANO maxime discrepat. Deprehendimus porro auctorem hos sermones fere ex Patrum testimoniis hinc inde exceptis compegisse, ac præcipue ex sanctis Augustino atque Gregorio. Veronensem fuisse ipsum auctorem non tantum ex eo conjicimus, quia sermones hujusmodi post RATHERII Veronensis episcopi opera descripti inveniuntur in codice, quem ad Veronensem ecclesiam pertinuisse arbitramur; verum etiam quia inter eosdem sermones unus est de sanctis martyribus Firmo et Rustico Veronæ glorioso martyrio donatis et custoditis, quorum festum in eadem Veronensi ecclesia celebre semper fuit. Hinc eos *martyres nostros* auctor appellat, et sermonem in ipso die festo habitum innuit. Istum sermonem inter cæteros in hac appendice idcirco proferre libuit, quia de nostris martyribus agit; ac ex eo auctoris indoles, ac cæterorum sermonum ratio satis perspicientur. Sancti Gregorii loca, ex quibus ille sermonem ipsum connexuit, atque digessit, in notis indicabimus.

SERMO

IN FESTO SANCTORUM MARTYRUM FIRMI ET RUSTICI.

669 1. *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos (Ps. xxxiii, 12). Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur (Ibid., 6)*. Volumus vos scire, fratres, quod omnipotens Dominus Ecclesiam suam sine digna administratione non deserit. Nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat; cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum virtutes, quas remuneret, subministrat. His roborati virtutibus sanctus Firmus pariter et Rusticus contra hostes fidei audacter pergunt ad prælium, ipsosque insurgentes patiendo despiciunt: quia (1577) tales secum dux noster ad prædicationis prælium adduxit, qui despecta salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Martyres nostri, fratres, sub duce suo tribus modis venerunt armati ad prælium, tubis, la-

(1577) Sequentia usque ad numeri finem sumpta fuerunt ex S. Gregorii libro xxx in Job, c. 25, num. 75, ita tamen ut quædam verba inserta, alia pauca præmissa, alia transposita sint, uti not. 1579 exempli gratia explicabitur.

(1578) Supplendum *miraculis* ex S. Gregorio, et recte: unde mox *miraculis coruscare conspiciunt*.

(1579) Hæc apud S. Gregorium loco laudato not.

genis, et lampadibus. Sonuerunt tubis, dum prædicant; confregerunt lagenis, dum solvenda in passione sua corpora hostibus opponunt; resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum coruscaverunt (1578); moxque hostes in fugam versi sunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, cecinerunt. Cecinerunt (1579) ergo tubis milites nostri, ut lagenis frangerentur; id est prædicaverunt martyres nostri, donec eorum corpora in morte solverentur. **670** Lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent, id est corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent. Apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent, quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent.

ita efferuntur: *Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur; corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent; coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent quatenus, etc.* Noster auctor hæc eadem